DE PNEUMONORRHAGIA SPECIMEN INAUGURALE QUOD PRO...

Paolo Tonini

DE

PNEUMONORRHAGIA

SPECIMEN INAUGURALE

QUOD

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA OBTINENDA

IN LYCEO MAGNO PATAVINO

EXHIBET

PAULUS TONINI

VICETINUS

PATAVII

EX TYP. ANGELI SICCA

1842

CARISSIMI PATRIS

MEMORIAE

SEX NVNC ABHINC ANNIS

DIRO FATO ABREPTI

PRIMVM STVDIORVM OPVS

FILIVS

AFFECTV PIETATE

CONSECRAT

Quum tandem mihi optatam studiorum metam contingere detur, atque in hac auspicatissima die, antequam laurum temporibus circumducam desideratissimam, officium ab hujusce Archigymnasii legibus demandatum persolvere jussum sit; quo cum animo novus ego Hygieae sacerdos, optimis nondum disciplinis imbutus, ad vos accessurus sum, ut argumentum alicujus medicae disquisitionis elucubratum in aspectum lucemque proferre valeam? Sincere fateor, quod mihi de pneumonorrhagia aliquid disserturo vires longe pondere minores deficerent, totaque ex animo virtus decideret, nisi vestrae, Auditores praeclarissimi, humanitati ac benevolentiae fidens in auxilium hae mihi venirent. Quapropter ne meum hoc primum tentamen despiciatis, et opus ex studio auctorum clarissimorum, atque ex tot tantisque praeceptis in disciplinarum decursu mihi elargitis promanans, grato animo suscipere velitis enixe rogo!

Definitio morbi.

Ex graecis vocabulis πνεύμων pulmo, et ῥέω fluo, pneumonorrhagia nomen repetit. Alias vocatur *haemoptoe*, *haemoptysmus*, *haemoptysis*; Italis: *sputo di sangue*, *emottisia*, *emottisi*; Gallis: *crachement de sang*, *cracher de sang*, *fluxe sanguin*

des poumons. Alias etiam *sanguinis e pulmonibus fluxus*, *passio haemoptoica*, *haemorrhagia pulmonum*, *sanguinis sputum*, *sputum cruentum*, *vomitus pulmonis* nominatur illa haemorrhagiarum species, sub qua sanguis ex organis respirationi inservientibus, e laringe nempe, trachea, eorumque bronchiis vel pulmonibus, praevio titillationis, aliquando caloris, constrictionis in pectore sensu, accedente tussi, respiratione fortiori, vel motu tracheae retrogrado per oris cavum evacuatur.

Decursus.

Quemadmodum in aliis haemorrhagiis, ita etiam in pneumonorrhagia symptomata adesse solent, morbo huic praecedentia, morbum comitantia, quaeque illum denique sequuntur.

Pneumonorrhagia saepissime frequentes agnoscit atque praemittit prodromos: levem horrorem, lassitudinem, ad faciem ruborem, caloremque fugacem, cephalalgiam, spirandi levem aut satis manifestam difficultatem, tussim aridam; anxietatis, aestus interni, tensionis, ustionis, doloris sub sterno, ad dorsum, scapulas, in pectoris profundo, perceptionem; extremitatum refrigerationem, pallorem urinae, cordis palpitationem, pulsum concitatum, celerem, duriusculum, perceptionem sensus pruritus secundum asperae arteriae tractum ad fauces adscendentis, saporem dulcem. Interim in sat multis praevia haec desunt symptomata, et sanguis haud raro, sine conspicuo ad pectus, aut aliam partem

molestiae sensu, tacite quasi per tracheam fugam orditur.

Sanguis modo quasi vi spontanea et levi excretione eructatur, modo per tussim violentam, cujus conatus aeger quamdiu licet reprimere satagit, ejicitur. Quod graviori in malo, tanto cum impetu contingit, ut sanguis non solum per os, sed et per narium ostia prosiliat, vellicando vomitum excitet; suboritur mox summa anxietas, succedunt visus obnubilationes, frequentes oscitationes, tinniunt aures, lipothymiae, et facile convulsiones scenam claudunt lethales. Tali pacto sanguis amissus interdum solito spissior, aut fluidior, quantitas nunc ad paucas circumscribitur guttas, nunc libras excedit. Tussi egeritur forti, lenteque effunditur, fluidus prodit, laete ruber et spumosus cum pauca adsit copia; largiter vero, et cito gravi sub anxietate extravasatus, conamine intenso, cum aut sine tussi, partim fluidus, et laete rubens, partim grumosus, et ater per rivulos exprimitur.

Exitus.

Exitus pneumonorrhagiae sunt, aut in salutem, aut in morbos posthumos, aut in mortem.

In sanitatem, ubi illaesis pulmonibus haemorrhagia sensim cessat, praesente vero statu febrili per crises, ope sudoris et urinae; in suppressis aliis haemorrhagiis, aperto iterum earum rivo.

In morbos posthumos, praecipue in tuberculorum pulmonalium formationem, atque suppuratio-

nem: hinc phthisis purulenta frequentissima est ejusdem sequela. Praeterea in pneumoniam, chronicam pulmonum atoniam, hydrothoracem, atque tabem.

In mortem plerumque per morbos posthumos, praesertim per phthisim pulmonalem, sed etiam per se ex nimia ejusdem vehementia. Horrendum spectaculum conspicere miserum, mortis terrore percussum, lecto cruento insidentem, linteis sanguine atro-grumoso conglutinatis, atque vasis spumante, coccineoque humore vitali repletis circumdatum, respiratione stertorosa, sibilosa, humillima voce, verba intersecta, et anhelata sub violenta diaphragmatis actione proferentem, signorum ope loquentem, auxiliumque implorantem, et cum prosiliente vitali latice ipsam quasi vitam eructantem.

Divisio.

Morbi decursus, sic et symptomatum varietas, nec non momentorum occasionalium diversitas fundamenta medicis praebuere, quibus innixi divisionem superstruxerunt; hinc nos, secundum celeberrimum Richter, in inflammatoriam, spasticam et passivam pneumonorrhagiae divisionem retinuimus.

Ad inflammatorias pneumonorrhagias spectat:

1. Pneumonorrhagia accidentalis, quae adolescentes maxime illos, qui prius epistaxi obnoxii erant, aggreditur. Ansam porrigunt errores gymnastici et diaetae. Origo morbi in statu inflammatorio

arteriosi systematis pulmonum quaerenda esse videtur. Antecedunt haemorrhagiam hanc cordis palpitatio, pectoris pondus, pulsus plenus, fortis, raucedo, siccitas oris, tussis et dyspnoea, quae ejecto cruore sublevatur, atque dolor, si prius adfuerit, mitescit, simul cum oppressione pectoris. Succedit debilitas et terror a cruoris adspectu.

2. Pneumonorrhagia haemorrhoidalis, quae effectus est plethorae venosae, concurrente saepe statu varicoso venarum pulmonis. Morbus saepe periodice omni anno, circa aequinoctialia tempora, in hominibus vitam sedentariam ducentibus, haemorrhoidalibus moliminibus, aut illorum quondam fluxui subditis, praeviis abdominis doloribus, sub alvi depositione recurrit. Rejectio cruoris certos inter limites levamen adfert.

3. Catamenialis pneumonorrhagia, quae catameniis ante terminum consuetum supervenit, singulisque mensibus moderata dosi eorum vices supplet, haud raro cum sanitatis integritate. Oriri videtur ex causis regulari menstruationi obstantibus, et labefactione praevia pulmonum.

4. Pneumonorrhagia traumatica, quae a vulnere pulmonum, a percusso pectore, a corporibus extraneis in pulmones illapsis, et a rebus pulmones chemice laedentibus originem ducit.

5. Rheumatica et arthritica pneumonorrhagia, quibus rheuma et arthritis, vasis sanguiferis pulmonum infensa, ansam porrigunt. Tussis his in speciebus admodum saeva observatur.

*

Pneumonorrhagiae spasticae species frequentissime occurrit. Hic irritabilitas magna cum debilitate juncta est partim in toto corpore, partim vero localiter in pulmonibus.

Si perpendamus originem, curriculum nervorum pneumogastrici et sympathici magni, illorumque cum corde, vasisque majoribus nexum, non mirabimur, animi pathemata, aliosque stimulos ex cerebro, columna vertebrali, abdomine et partibus genitalibus ortum ducentes, pneumonorrhagiae ansam praebere. Cognoscitur haec species ex conditione aegrorum, utpote systemate nervoso admodum excitabili praeditorum, ex causa morbi maxime systemati nervoso infensa, ex pulsu parvo, contracto, haudque febrili, ex urina limpida, copiosa, aliisque signis spasmodicis.

Pneumonorrhagia passiva, quae non ex nimia vasorum pulmonalium irritabilitate, hinc neque ex majori et quasi impetuoso sanguinis ad pulmones adfluxu, originem ducit, vasorum laxitati debetur. Huc praecipue pertinet pneumonorrhagia scorbutica. Diagnosis illius, habita ratione signorum generalium scorbuti, instituitur.

Diagnostica pneumonorrhagiae distinctio.

Qui ex pulmonibus sanguis evacuatur, quamquam id commune habere soleat, quod tussis ope, et per ictus rejiciatur; quod plerumque adspectum offerat fluidum, spumosum et sincerum, coccineumque; quod peculiaribus symptomatibus pro-

dromis annunciari soleat; attamen pneumonorrhagia cum stomatorrhagia, gastrorrhagia, tracheorrhagia, pneumonia, epistaxi confundi posset, cum morbus modo simulatus, modo dissimulatus, occultus modo sit. Ab hisce vero morbis sequenti distinguitur ratione.

In stomatorrhagia sanguis e partibus cavi oris ejectus scaturit, et tussis et dolor in pectore, aliaque pulmonis adfecti symptomata desiderantur; et per praesentiam illorum morbum longe alium indicantium, uti scorbutum, febrim putridam, cognoscitur. Sanguinis omnis fluxus e labiis, buccis, gingivis, dentium alveolis, palato et tonsillis, lingua, faucibusque derivat, et per sensum visus praecipue dignoscitur.

Praesente gastrorrhagia sanguis non est floridus, nec spumescens, sed colorem ostendit atrum, in grumos concretum, neque tussi, verum emesi eructatur, illiusque ejectionem nullae praecedunt pectoris adfectiones, sed dolor in abdomine, cardialgia, vomituritio, et alvus plerumque simul sanguinolenta dejicitur.

Sanguinem autem ex trachea, non ex pulmonibus, scaturire, parca ejus copia, cum tracheae muco miscela, sub titillationis, aestus aut ardoris in aliquo tracheae loco sensu, cum levi vel absque omni tussi, cum exiguo tantum conatu ejectio, dyspnoeae tandem, febris, pulmonis laesi causarum, ac signorum defectus comprobant.

Pneumonias multis sputis cruentis insignitas cum

pneumonorrhagia confundi posse monui. Confusio hujusmodi terribilis foret pro medicis, qui pneumonorrhagias quotquot sunt, remediis adstringentibus aggrediuntur; secus autem pro nobis, utpote qui adfinitatis inflammationum cum plurimis haemorrhagiis memores, utramque morborum formam, haud raro eadem prorsus methodo, antiphlogistica scilicet, curamus. Interea si signa inflammationis obscura et ambigua sint, et contra sanguis e pulmonibus ruens omnium oculos feriat, potius pneumonorrhagiae, quam pneumoniae praesentiam proclamandam esse censemus.

Pneumonorrhagiae confusio cum epistaxi locum habere posset, si cruor, vi e pulmonibus ejectus, per narium ostia prosiliret, aut si ille e vasis narium pullulans per choannas ad imas fauces deflueret, tussim excitaret, et sputi instar rejiceretur. Aetas aegroti, causae et praesertim symptomata prodroma ab errore in diagnosi tuentur.

Ætiologia.

Duplicem vim, seu duplicem virium seriem agnoscit quicumque processus cum in materia locum habeat. Processus non est aliud, nisi series mutationum invicem colligatarum, quae ad productum conducat. Id valet de chemico, id de quocumque processu vitali, hinc morboso etiam. Morbus igitur, ut ad existentiam vocetur, virium seu materiarum diversarum conflictus habeatur, necesse; hinc ad generandum morbum duo requiruntur: dispositio et

potentia nocens, nec non certa inter utrumque momentum ratio.

Ad pneumonorrhagias aetas juvenilis cum thorace complanato, angusto, brevi maxime disponit. Videre hinc datum tali laborantes morbo collum praeseferre gracile et longum, teneram et laxam totius corporis, pulmonum imprimis, compagem; temperamentum cholerico-sanguineum si ad activas, phlegmaticum vero ad passivas pneumonorrhagias cum dispositi videantur; vitium rhachiticum, scrophulosum, scorbuticum, masculinum sexum. Sic pariter vita sedentaria, tempus vernale, annua vel epidemica constitutio, repentina atmosphaerae, e frigidiori et sicciori in tepidam et humidam mutatio praetermittenda haud est.

Causae occasionales, quae praecipue enumerari merentur, huc spectant: violentia organis respirationis illata vulnera, contusio, percussio, compressio, coarctatio, depressio, fractura sterni, costarum, nixus fortior sub partu, in oneribus gravioribus elevandis, intensio nimia sub alvo dura excernenda, vociferatio vehemens et longa, clamor altus, imprimis sub ira fortiore, cantus acutior, profundior, protractus, tussis violenta, effluvia sulphurea, nitrosa, pulveres, vapores acidorum fortium, metallorum venenatorum, aliique cum aere inspirati; sternutatio impetuosa, risus effraenis, exercitium violentum corporis sub cursu, equitatione, vectione per loca saxosa, pulmonum per morbos praegressos debilitas, ac sensilitas major; tumores in pectoris

cavo, aneurysmata cordis, vasorumque majorum pulmonalium; steatoma, vomica, tubercula pulmonum, induratio unius ex istis, varices, hydrothorax, empyema, virus venereum pulmonibus infertum; herpetum, impetiginum variarum subitanea suppressio, ac similis ad pulmones morbosa secretio, abdominales infarctus; viscerum, imprimis hepatis, lienis, uteri, moles aucta, tumores scirrhosi, adeps multus, spasmi abdominis, extremitatum refrigerium, balnea frigida; ac singula demum illa, quae stimulum pulmonibus admovent, et cruorem cum impetu ad vasa pulmonum urgent, ac localem in hoc viscere plenitudinem inducunt, aut illum per alias corporis partes distribui impediunt. Jacturam denique humorum per lactationem, onaniam, venerem praecocem, aut per coitum ipsum frequentissime celebratum, inductam, pulmonibus haud parum insidiari, multorum, qui ex hac causa nimis exhausti sanguinem sputarunt, ac tandem in phthisim delapsi sunt, exitus confirmant lethales.

Prognosis.

Si ad pneumonorrhagiae causas respiciamus, diversa ejusdem pericula nobis elucent. In hominibus ad phthisim pulmonalem praedispositis, in quibus tubercula plerumque, aut nativa vasorum pulmonalium teneritas, sensilitas morbosa, profluvium inducunt, spes modo pauca restituendae, constantis saltem salutis affulget. Si per omnem puerilis aetatis periodum frequentius per nares, sequentis

vero aetatis per annos jam saepe per pulmones cruor profluxerit, ne facile mutari habitudo haec possit, et ne labem hujus visceris inducat, justus est timor.

Verebimur et illud, quod febris, pectoris angustia, majorque molestia indicabant, comitantur, profluvium imprimis copiosum; sed magis hoc verebimur, si febris, tussis, dolor, dyspnoea, cessante jam cruoris effluxu, per plures adhuc dies continuent, ac lenta quasi febris, tabisque pulmonalis symptomata subcrescant. Tristissimus est status, cui maximo cum impetu cruor plurimus, coccineus, sub ebullientis quasi, in cavo thoracis profundo, aquae strepitu, ex trachea per vices praecipitet; cui extrema frigere, vomitum, lipothymias repetitas, nec tamen fluxum cruoris cohibentes convulsiones succedere videamus, vel si causas istorum, quas minime auferri licebit, subesse noscamus.

Tamen non ultra, quam par est, et quam experientia jubet, hos timores, cum damno aegroti, extendi oportet. Gravidae mulieres non raro, donec partum absolverint, sine tantis, si modum res habent, periculis, sanguinem ex trachea eructant. Fluxu menstruo orbatae feminae, puellae necdum rectius menstruatae, frequenter sub debita periodo, cruorem e pulmonibus, quin multam abhinc noxam experiantur, excernunt. Idem de haemorrhoidibus virorum suppressis, ac in pulmonum profluvium mutato fluxu aliquando; sed, ut multorum medico-

rum celebratorum loquuntur observationes, raro admodum dicendum est. Sub pulmonum inflammationibus saepe sanguis sat multus, quin pneumonorrhagiam vocassent, ejicitur: ac si modice id fiat, meliore id sorte, quam si nulla sputa expellant, contingit. Ab illata thoraci externa violentia, sanguis persaepe, sed multis in casibus, sine eo, quod causae interne adtulissent, rerum discrimine, per tracheam profunditur. Nec minus in robustis hominibus, corporis exercitio parumper violento, aut potui spirituoso parumper indulgentibus, sanguis interdum ex trachea, pulmonibus, quin ideo vel redeat fluxus, vel labes ad istos remaneat, regurgitat; ut igitur si tam atro hic morbus carbone notetur, id maxime ex eorum, qui ob praevia in pulmonibus tubercula, vel ob infelicem ex parentibus, a nativitate dispositionem, profluvii hoc genus patiuntur, frequentia; vel demum ex ipso medicorum immaturo, hunc fluxum, de repente cohibendi conamine, derivandum sit. Qui ex trachea aut larynge dumtaxat ascendit cruor, is, si modo certa sit diagnosis, minori omnino, quam qui ex bronchiis venisset, cum discrimine prodibit. Interim si gravior vasorum laesio, vel causa solidis viventibus pertinaciter adhaerens, et in ulcera maligna proclivis, subfuerint; phthiseos exempla non desunt.

Therapia.

Ad aegrum pneumonorrhagia laborantem advocatus medicus, festinante quidem, sed cauto satis,

nec turbato, per adspectum periculi, vultu, accedat; mox indolem aegroti, causarum praegressarum latentium, ipsius habitum, modumque profluvii, vires vitae superstites, ac eorum, quae timenda sunt seriem, ut perscrutet necesse est. Sanguinem ejectum non sub aegri oculis examinet, sed perspectum illico removere curet. Quaestiones non instituat superfluas, et quousque licet, ita constitutas, ut aegrotus, aut affirmando aut negando, nutu respondere possit. Optimum, si adstantes pro eo loquantur. Curandum interim, ut aegrotus mox vestibus, et singulis, quae comprimunt, spolietur; ut corporis positionem erectam observans, subfrigido in aere degat; ut corpus vel minime moveat, ac ab omni prorsus vociferatione abstineat; ut mentis in eodem agitatio, quo fieri id licet modo componatur; ac tandem, ut potum calidum, vel et talem, qui fauces ad tussim exstimulet, evitet.

Indicatio in pneumonorrhagiae cura, vel directa vel indirecta modo locum habet. Saepe morbi causa tolli adhuc potest: hinc vulnera, fracturae costarum subsidiis chirurgicis conformiter tractantur; haemorrhagiae suppressae iterum revocentur.

Postea prae omnibus aliis videndum est, an haemorrhagia haec activam vel vero passivam habeat indolem. Si haemorrhagia activa cognoscitur, qualis in pneumonorrhagiis recentibus plerumque esse solet, remedium potentissimum et incomparabile sistit venae sectio. Pulsus tensus et plenus, subitanea paroxysmi invasio, et sanguis coccineus, spu-

mescens, praecipue in subjectis plethoricis, venam sine mora secare, largamque quantitatem evacuare jubent. Sed neque pulsus parvus et contractus, neque pallida facies, terroris plerumque effectus, a venae sectione medicum deterreant; saepe post phlebotomiam pulsus evolvitur, elevaturque, et plenus durusque fit. Recte ita Vogel monet: in tali casu aliquam audaciam minus, quam timiditatem, nocere. Solummodo, ubi per varios excessus, tristitiam, atque moerorem, morbis diu durantibus, vires admodum exhaustae sunt, nec non in subjectis cacheeticis atque hydropicis venae sectio interdicitur.

Quamprimum novus insultus haemoptoicus invasionem facit, et donec anxietas, praecordiorum oppressio, pulsusque tensus et duriusculus adsunt, sanguisque floridus, coccineus adparet, iterata venae sectio negligenda non est, neque numerus venae sectionum determinari eousque potest, donec sanguis multum continet cruoris, notabilemque ostendit crustam inflammatoriam; sub tali enim rerum conditione sola adhuc phlebotomia imminens averti potest phthisis pulmonalis. Fasciae post institutam venae sectionem laxe, quantum fieri potest, constringantur.

Phlebotomia saeculorum auctoritate suffulta in pneumonorrhagia accidentali in brachio, in catameniali et haemorrhoidali in pede institui debet. Venae sectione peracta, aut in minori malo, ea haud plane indicata, magna est hirudinum adplicatarum efficacia. Nec pediluvia calida, nec clysteres emol-

lientes, nec sinapismi acriores, non ad pectus, sed ad extremitates inferiores, negligi debent.

Nitratis potassae moderata dosis usui interno, a qua nulla irritatio timenda est, in vehiculo extemplo parando exhibita, medici expectationi satisfacit. Testatur de pauco judicio, si medicus festinanter ad aegrum pneumonorrhagia laborantem vocatus, tales formulas, quae praesertim noctu, extincto in pharmaciis igne, tempore et coctione indigent, praescribit. Solutio nitri cum solutione potassae optime jungitur. Talis solutio mixta, insignem nitri virtutem in frangenda sanguinis vitalitate exorbitante, atque impetuositate cum magnis simul arcani duplicati viribus conjungit; hocce enim remedium arcano certe modo penetralia organismi adeundo actionem derivantem, evacuantem, solventem, atque turbas systematis sanguiferi compescentem, mirum in modum exerit. Hujusce simplicis methodi laudes vix sufficienter praedicare possum; freno enim sub hac pneumonorrhagiis injecto, hoc in morbo tempus ad perfectam curam, et imprimis ejectio cruoris atri, utpote saepissime cum levamine contingentis, conceditur.

Vehicula pro nitrate potassae, decocta radicis salep, et althaeae officinalis, emulsiones tenues amygdalinas, linctus ex mucilagine gummi arabici, et syrupo sive althaeae, sive violarum, sive papaveris rhoeados eligere solemus; potus gelidus sit.

Si malum nondum sufficienter infractum fuerit, transitus deinde in remediis internis fit ad alumen, acidum tartaricum cum symphito officinali; ubi cre-

thismus adest, pulsusque tangitur frequens, ad acidum sulphuricum dilutum, elixirium acidum Halleri, digitalem purpuream; in statu spastico ad ipecacuanham, et extractum hyoscyami, deinde ad epithemata thoraci imponenda.

In pneumonorrhagia spasmodica, et in omni alia, symptomatibus nervosis, etiamsi accidentalibus, insignita; semina hyoscyami, atque amygdalarum dulcium excorticatarum sub forma emulsionis adhibenda sunt, et in primis folia digitalis purpureae hic iterum tentari possunt. Spasmis ex imo ventre proficiscentibus, morboque habituali redito, radicis ipecacuanhae parvae doses multum praestare solent. Maxime autem practicorum nonnullis connubium hujus radicis cum opio arridet. Pulvis Doweri ut specificum agit dum febris desideratur, alvus aperta est, noctes inquietae sunt, tussicula brevis urget, et aeger pusillanimis cernitur.

In pneumonorrhagia passiva, adstringentibus interdum, tonicis, atque excitantibus, locus concedendus est. In pneumonorrhagia atonica, praesertim puellarum, atque in phthiseos pulmonalis conclamatae, et morborum organicorum cordis et arteriarum, symptomatibus, elixirium acidum Halleri optime conducit. Alii simplex acidum vitrioli laudant. Quodcumque tamen acidum eligatur, id tali pacto involvendum est, ut tussim non exasperet. Praeterea huc pertinent: radix tormentillae, bistortae, vitriolum martis artefactum, ad grana duo vel tria omni trihorio, radix et extractum ratanhiae.

Pneumonorrhagiae nota gastrica insignitae, sanguinis evacuationem per se non exposcunt, verum cum de diagnosi raro certissimi simus, cumque complicatio inflammatoria latere possit, nisi constitutio epidemica nos aliter docuerit, et hic venae sectionem negligendam non esse censemus. Si saburrae, aut corpus peregrinum e trachea ejicienda sunt, emeticum plurimi commendant. Haemorrhoidariis egregie electuarium lenitivum inservit. Quocumque autem utaris ad alvum movendam eccoprotico, cave a violenta alvi evacuatione, pneumonorrhagia laborantibus admodum adversa.

Exantlata pneumonorrhagia non illico triumphandum, ac sat diu in eadem methodo, praecipue quod spectat ad regimen diaeteticum, continuandum; illud enim maximi est momenti, et plus ad longaevitatem vitae, molestiasque leniendas contribuit, quam totus medicaminum exercitus: quod vero quam maxime de jam dicto morbo chronico valet. Strictis ergo diaetae legibus aeger pneumonorrhagia decumbens sese obligare debet; nam, ut Hippocrates dixit, « si curatus et sanus factus, non se ipsum custodierit, plerisque revertens morbus, interitus causa fit. »

Conducat aeger primum aerem temperatum, moderatum, nec frigore nec calore excedentem, aut substantiis heterogeneis inquinatum. Optimus erit subhumidus, quietus, pratensis sub tempestate serena. Longe habeat usum carnium stimulantium, sanguinem phlogisticum nimis reddentium, et ad

vegetabilia potius nutrimenta cum animalibus carnibus aetatis junioris mixta confugiat; hinc vinum quodcumque excludendum, a clamoribus, cantu, equitatione, a venere summopere abstinendum. Tali pacto aegro ad portum deducto, quid ad perfectam sanitatem obtinendam adhuc desideratur, ipsa natura sub ulteriori lactis usu perficit. Fridericus Hoffmann narrat: « Novi solo lacte caprillo cum floribus papaveris rhoeados cocto, admixta dimidia aquae parte, et addita portione mellis, quotidie largius assumpto, immodicam etiam ex pulmonibus sanguinis profusionem, optime conquievisse primum, ac postea usurpatis simul multo inter cibos confectis ex amylo, ex toto fuisse sanatum. »

Dissertationis finem ponere jam vero oportet. In hac si aliqua, quae dicenda fuissent, silentio praeterii, aut in praetereundis fusius forsan, quam par erat, tempus contrivi; si pro mei ingenii tenuitate perbelle eadem exposita non sunt, vos, auditores benevoli, ut veniam concedatis, obsecro, cum temporis angustia, matura nondum aetas, nondum experientiae auxiliis suffulta, hoc breve opus melius perficere mihi prohibuerint.

THESES DEFENDENDAE

1. Fracturae et luxationes in foetu vita orbato inventae, haud semper pro vita extrauterina deponunt.
2. Pneumonorrhagia cum bronchorrhagia non confundenda.
3. Vis naturae medicatrix praecipuum sanationis remedium.
4. Ubi sana medicina deest, ibi et philosophia.
5. Morbi revera intermittentes non dantur.
6. In putredine unicum certum mortis indicium habetur.
7. Organa, quae inflammationem subiere, ad pristinum nunquam reducuntur statum.
8. Ad curam melius organismi, quam ad vermium necem, in helminthiasi tollenda, scientia medica dirigi debet.
9. Per stethoscopiam et auscultationem, morborum, praecipue pectoris, diagnosis valdopere explanatur.
10. Ubi dolor, haud semper morbus.
11. Dantur interdum utiles morbi.
12. Medicus verus naturae sacerdos tenendus.
13. Physiologia Medicinae fundamentum.